

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus

### Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (13)

Idem (Ieronimus):

Nichil aliud ibi audietur nisi fletus, planctus, gemitus, et ululatus, merores atque stridores dentium, nichilque videbitur, nisi vermes, et larvales facies tortorum atque teterrima monstra demoniorum. Vermes crudeles mordebunt interna cordis, hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor et tremor et timor horrens. Ardebuntque miseri in igne eterno in eternum et ultra. In carne cruciabantur per ignem, in spiritu per conscientie vermem. Ibi erit dolor intollerabilis, fetor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis et anime sine spe venie et misericordie. Sic tamen morientur ut semper vivant, et sic vivent ut semper moriantur. Ita anima peccatoris, aut in inferno pro peccatis suis cruciatur, aut in paradiso pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo unum e duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter letari cum sanctis. Bonum siquidem et malum ante nos sunt posita, et mors et vita, ut ad quod volumus manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, saltem incitent premia.

Nihil aliud ibi audietur nisi fletus et planctus, gemitus et ululatus, moerores atque stridores dentium: nichilque ibi videbitur, nisi vermes, et larvales facies tortorum, atque teterrima monstra daemonum.  
Vermes crudeles mordebunt intima cordis: /  
Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, et timor horrens.  
Ardebuntque miseri in igne aeterno in aeternum et ultra.  
In carne cruciabantur per ignem, in spiritu per conscientiae vermem.  
Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fetor incomparabilis, mors animae et corporis sine spe veniae et misericordiae.  
Sic tamen morientur, ut semper vivant;  
et sic vivent, ut semper moriantur.  
Ita anima peccatoris aut in inferno pro peccatis cruciatur,  
aut in paradiso pro bonis meritis collocatur.  
Nunc ergo alterum e duobus eligamus:  
aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter laetari cum sanctis.  
Bonum siquidem et malum, vita et mors, ante nos sunt posita,  
ut ad quod voluerimus manum extendamus.  
Si tormenta non terrent nos, saltem invitent praemia.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3.10 (PL 184, col.492A-B).